



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Aliqua notanda de libris vetitis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Academiz, tacito nomine detentinatæ personæ? Respondeo, Non possum excusare eum, qui dictum nomen præponit, qui verò nomen alterius sufficientis vel Collegij, merito excusare debeo. Sic Bon. *ibid. n. 10.* Ratio est, quia in hoc posteriore jam adest, qui de libro rationem reddere potest, qui fuit finis in ea lege Tridentini; in priore autem non adest: nam propterea idem dicendum putò, si apponatur nomen auctoris, sed anagrammaticè mutatum, quia sic perinde est, ac si nullius, qui possit librum defendere, nomen inscriberetur.

Defendentes occultè, vel publicè, qualibet causa, vel colore.

54. Sive factis defendas, ut si libros in Cœna Domini prohibito occultes, vel impediās, ne comburantur, vel deferantur; sive verbis, ut si eos ut tales laudes, vel persuadeas, ne exterminentur; sive scriptis, ut si pro iis rationes etiam in tuo cubiculo occultè scribas, peccas contra legem, Patent hæc ex tenore Bullæ. Ita Castr. *n. 14. Sanchez n. 48. Suar. 2. n. 15.*

55. Dixi (ut tales) nam si dicas librum esse optimum, quoad cetera; laudèque stylium, ingenium, &c. nec ejusmodi verba faciant ad libri conservationem, non condemnaberis; quia sic non faves hæresi. Quid si dicas, te velle librum defendere, nec tamen defendas? Alii qui cum Sanch. *ibid.* Castro Pal. *ibid.* putant id non esse contra Bullam, quod defendentes, non verò volentes defendere damnat. Aliqui asserunt hoc ipsum esse defendere, adesse nimirum aliquem, qui illius defensionem velit suscipere. Puto ex se hoc non esse defendere: sed si sit in circumstantiis, in quibus significetur adesse patrum libri, unde retrahi possint, qui librum exterminare debent, erit cetèrò defensio, & consequenter violabitur lex, siquid esset defensio arcis, te patrum esse ad propugnandum pro ipsa.

Aliqua notanda de libris vetitis.

56. Deinde nota primò, eos qui sunt sub Hispanica Inquisitione, teneri illos tantum libros pro vetitis habere, quos ipsa vetat: etiam si Romæ, vel alibi non sint, vel sint vetiti: constat id ex privilegiis datis Hispanicæ Inquisitioni usu ipso comprobatis.

57. Secundò. Quando per edicta præcipitur, ut quisque ostendat suo libros, seu eorum Catalogum ad Inquisitores, solum obligaris ad deferendos eos, quos alias non ostendisti; semel enim ostendisse sufficit: insuper si certus sis librum non esse ex vetitis, probabiliter non obligaris ostendere in foro conscientie. Ratio est, quia videtur esse res levis negligere libri delationem, si certus sis nullum in librum errorem interpsisse.

Quid, si, ut usu venire solet, aliquem librum, quem tu Inquisitoribus protulisti, prohiberi postea contingat? Respondeo: urget tunc obligatio proferendi. Quare nisi certò scias librum, quem ostendisti, nec fuisse prohibitum, nec periculum ullum adesse, quod postea vetitum fuerit, semper (præsertim ab indoctioribus, qui ejusmodi periculum discernere non valent) ille ostendendus.

58. Tertiò, cum per edicta præscribatur terminus infra octo dies ostendendi ejusmodi libros, inciditne in excommunicationem, qui vel post terminum, vel etiam nunquam ostendit? Respondeo, salvo meliori judicio, nequaquam quoad libros numero præcedente dictos. Ratio est, quia in edicto, ut hic in Sicilia publicatur, dicitur (verbi gratia, si commanda, id est, præcipimus ostendere libros, &c. (& paulò post,) procedere ad alios pene, hoc est, alias penas infligimus) unde nulla apparet lata excommunicationis. Dices in fine edicti fulminatur excommunicationis. Respondeo, si attentè edicti tenorem legas, videtur hæc excommunicatio, cum sit tam rigorosa, cadere solum in hæresim, ceteraque gravia delicta superius allata, non verò in eo qui dumtaxat à tali librorum ostensione

se subtrahunt, si libri, vel aliàs ostensi fuerint, vel cetèrè nihil erroris contineant.

59. Quid de peccato mortali? Respondeo. Quia illed (præcipimus) est peccatum in legibus peccati mortalis, quando materia est gravis, peccati levis, quando materia est levis: ex Castro Pal. *rom. 1. d. 1. de legibus, part. 9.* aliisque *ibid.* citatis, &c. In nostra autem materia, quando libri nihil erroris continent, videtur res esse levis, ut modò *num. 17.* dictum est quando verò continent hæresim, res est cetèrè gravis, ideo hic esse mortale, ibi non esse dicendum erit.

60. Quartò denique, rectè notat ex Bescano Layman *lib. 2. tr. 1. c. 14. n. 4.* ubi recepta non est Bulla Cœnæ, vel index librorum prohibitorum, ut alicubi in Germania, non excommunicari Catholicos legentes, &c.

§. VIII. De Absolutione ab Hæresi.

Casus facilioris Absolutionis.

1. Latim atque tibi offertur absolvendus aliquis ob hæresim, perpendendum est, an possis vel ab hæresi reservata illum excusare, vel te esse in illis circumstantiis, in quibus ab illa absolvere, licet privilegiatus nequaquam sis, valide possis?

2. Primò igitur, si hæresis fuit merè interna, non est reservata; ita Azor. *part. 1. lib. 8. c. 19. g. 4.* de Lugo *de part. d. 30. sect. 2. n. 13.* quia Ecclesia non judicat de interiori, est autem talis in his casibus, quos *suprà*, §. 3. *num. 5.* diximus.

3. Secundò, si item fuit solum externa, & non interna, puta, si metu, vi, libita ira, aliquid factum, vel dictum sit contra fidem, sed manente intellectu sine voluto errore contra ipsam, licet fuerit gravissima culpa contra externam confessionem, cum non sit vera hæresis, non inducit satis Probabiliter excommunicationem Bullæ, ita Fag. *pr. Ecclesie 2. l. 8. c. 8. n. 38.* Toletus Sanch. Suar. Filii. alique apud Dian. *rom. 3. tract. 4. ref. 145.* & *p. 4. tr. 4. ref. 240. sine*, quare nisi in aliquo Episcopatu sit specialiter reservata, poterit non solum vi Bullæ Cruciatæ, ex Henric. Portell. Duyn. Sanchez, Suar. aliisque apud Dian. *p. 1. tr. 5. ref. 7.* vel privilegiorum mendicantium ex Portell. alique apud Dian. *l. c. ref. 8.* sed etiam à quocunque Ordinario Confessariò absolvi. Ratio est, quia, quamvis in foro externo hic præsumatur hæreticus, unde & de mortandus, & puniendus; tamen coram Deo, cum talis non sit, non incurrit coram eodem excommunicationem reservatam in foro interno, circa quod est forum penitentiae. Hinc qui propositionem hæreticam enuntiat, qui comedit carnes tempore prohibito, qui idolo cultum externum exhibet, qui hæreticalem blasphemiam ex ira profert, & similia, si interim corde nullo errori contra fidem consensum præbet, absolvi, ut dictum est poterit.

4. Si quis cetèrò sciat se lingua hæresim pronuntiasse, sed dubitet an mente consenserit, esse reputandum, commississe hæresim externam, atque aded absolvi non posse ab ordinario Confessariò, ceterisque poenis subditi, docet Sanchez *rom. 1. in Dec. lib. 1. cap. 10. num. 74.* Ratio est, inquit, quia cum verba sint naturaliter signa intentionis, & nullus præsumatur dicere, quod in corde non habet, præsumptio est & possessio in hoc dubio, quod hæresis illa processerit exterius ex vero consensu interiori in illam.

Sed quamvis non negem forum externum contra hunc posse procedere, puto cum Caram. *in Theol. mor. lib. 3. num. 133.* posse à Confessariò non privilegiato absolvi in conscientia, nec subditi in conscientia dictis poenis. Ratio est, quia cum odia sint restringenda, reservatio, & poenæ debent restringi ad certam hæresim externam; sic Merolla *tom. 3. d. 3. c. 3. dub. 2. coroll. 23. num. 370.* At hæc est omnibus pensatis dubia: ergo, &c. Non esset autem hæresis dubia, si forte ex aliis circumstantiis (ut si is cognoscatur solitus similes veras hæreses pronuntiare) colligeretur adfuisse consensum; tunc enim